

047

045

051

041

056

036

096

146

546

Ende

Anfang

36

Fuimus illo die occasio, quod illi Mamaluci commiserunt multa
peccata contra Machometi legem; fregerunt enim jejunium suum,
vinum biberunt, Machometum blasphemarunt, legem ejus derise-
runt, Saracenis detraxerunt, et Christum Dominum ac evangelium
professi fuerunt. Haec in camera nostra occulte fecerunt, nec pro
toto mundo hoc facere ausi fuissent audientibus aliis. Cum autem
advesperasset et tempus quietis adisset, posuimus nos dormitum;
vix autem oculos clausimus, inceperunt Saraceni insanire in domo
et cum clamoribus, cantibus et musicis (**87 a**) instrumentis dis-
currere per domum; sed et Trutschelmannus Tangwardinus hilarior
solito factus venit cum luminibus, ducens secum ambas uxores
suas ad commodum nostrum, in quo in lectulis jacuimus, et ibi
coram nobis chorizabant et se in lascivis ornamentis suis nobis
ostentabant, arridebant et more daemonum tentationes carnis suis
precationibus nobis concitare satagebant, foeminae enim erant
ita petulantes, si non timuissent Tanguardinum, non dubito, quin
omnis verecundiae oblita aliquam in honestatem et turpitudinem
exercuissent in nostris conspectibus. Sic ergo nox illa transivit.

Tertio decimo die mane venerunt Mamaluci Hungari et nos
de tertia societate circumduxerunt per varia loca, de quibus in
generali omnium circumductione dicam, et ad prandium in curiam
nostram revenimus. Post prandium volebat generosus dominus
Comes de Solms exire in civitatem ad aliquid emendum, et con-
duxit unum Mamalucum, qui eum duceret. Comitati sunt autem
eum tres peregrini tertiae societatis, scilicet dominus Heinricus
de Schomberg, miles, et dominus Petrus Velsch, et ego frater
Felix. Exivimus ergo curiam, et Mamalucus conductus praecessit
nos cum fuste, tamquam ductor, protector et defensor et viae
factor; nam tanta multitudo hominum est undique in vicis, tanta-
que compressio populorum, et tam multi mercatores et emtores,
quod est stupor videre et incredibile audire, nec potest aliquis
ibi ire, sed continue oportet cum conatu vulgum occurrentem
penetrare. Sic ergo Mamalucus praecessit, condensatum populum
divisit, faciens nobis viam; interea in forum venimus, in quo
venales habebantur multi homines, juvenes et pueri utriusque
sexus, nigri et albi, foemellae et masculi. Stantibus autem nobis
in illo foro cum nostro Mamaluco aestimabant multi, quod Mamalucus
noster vernalis nos haberet et quod mercator esset, unde multi accur-

